MYSTICUM ALLEGORICUM 20
EMPYREON
DEI MIRABILE SUBSELLIUM
IN BOETICO-SERAPHICA EPARCHIA
ADUMBRATUM

DUM FILII PLAGIFERI IACOB CONGREGATI pro electu Hierarchæ supremi, phœdimi Prœsulis, ac Nomophilacis vigilis, ut à Domino constituatur super hanc suam Wandalo-Minoriticam familiam, vocem emittunt megericam dicentes cum sacro Apocalypste proportione jucunda, concina, sonora.

Benedictio, Claritas
Sapientia, Gratiarum actio
Honor, Virtus, Fortitudo
Deo nostro
In sæcula sæculorum. Amen.

Sic audietur in congestu cum Enthei dapsiliter synedricis obsequiis, heptafoniis mirificis, Deo dante, vota sua Domino reddant nostri Apocleti in conspectu omnis Populi Hispalensis, in atriis domus Domini, in medio Ierusalem Francisciadæ, in Pastophoro Matripolitani Cænobii, ubi non Xenophantis gnophicas sententias, nec Platonis homonymas ideas, sed Theosophica eloquia quatriduo rorante luce, & Minervales Palestras triduo labente Sole alternatim edisserent à die XXI. usque ad XXIV. Aprilis inclusivè.

An. Dom. MDCCLXXV.

Hispali: In Offic. *Josephi Padrino*, in vico Genuensi.

DIAGRAPHICA COMITIALIS

PROTOLOGIA.

PANDITUR interea domus Omnipotentis Olympi.
Non velut Virgilius fidibus canoris cecinit, mellitusque depinxit:

Devenere locos lætos, & amęna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque Beatas.

Nec ut olim Mythologicus Vates carminibus sciographice demulcebat,

Regia Solis erat sublimibus alta columnis
Clara micante auro, flammasque imitante Pyropo

Vel enixas Phaetontiadas preces pro Phæbi rheda, & ignivomo curru graphica manu depingemus; alta petimus, nō est mortale quod optamus. Evangelista enim Dilectus dum Cœlum conspexit apertum in sui mentis excesu amore raptus miratus thronum, reveritus est sedentem, memoriam adoratorum facit, & encomiastica effatur gratulatoria eloquia. En Empyreon Mysticum Bæticæ Minoriticæ Eparchiæ electis apertum; ecce Electorum turba à S. P. Francisco signatorum ex omni Tribu, ipse namque est Angelus ascendens ab ortu Solis, & signum Dei vivi in volis, plantis, latere habens. Angeli stabant licet non natura professione Seraphica, & Seniores immaculata vita in circuitu throni. Thronus siquidem in *Columna*, & adstare in eo Agnum stantem tamquam occisum, flagellatum nempe & tamquam absconditum vultum ejus; & ecce signum vel sigillum hujus Franciscanę Provinciæ in qua *Columna* Agnus verus Dux Minorum est, ut regat illos, & deducat ad vitę fontes aquarum; & hi qui venerunt de tribulatione Apostolici instituti, & dealbaverunt stolas suas per propriam abnegationem in sanguine Agni flagellati, hauriant aquas inspirationis cum gaudio de fontibus Salvatoris, ut pro salutifero gubernio talem Virum invenire possint qui Spiritu Dei plenus sit.

Silentium admirationis fiet dum in medio Altari offerrentur Sacrificia & hostiæ, & incensa multa ascendent de manu Angeli. & in his solemniis Rhetores quatuor oratione compta Deo tribuent *Benedictionem, Claritatem, Sapientiam, & Gratiarum actionem*. Prælium factum erit in Cœlo isto literarium, & per tres continuas vespertinas Diatribas pro Honore, Virtute, & Fortitudine dimicabunt totidem

dem Athletæ validi, ac Pugiles fortes, ut ipsi á quo cuncta bona procedunt sit *Honor, Virtus, Fortitudo in sæcula sæculorum. Amen.* Sic exoptant Bætis alumni, & orant eum, qui emittit cælitus lucis suæ radios, ut suis Comitiis det felicem exitum, & nobis omnibus det perenne gaudium.

ALMÆ BÆTICÆ PROVINCIÆ
ELOGIUM METRICUM.

FLorida Wandalia fructus, florumque referta
  Bæticolis fulget, gloria, lumen, honos.
Ductorum lampas, *Doctorum* maxima Phœbe
  Orantum cætus, claraque facta polo.
En tibi terrarum regnum committit honores
  O! Mater includis quidquid Olympus habet.
Sic *Minor*, & Major simul adstas, ore sed uno
  Te Matrem dicunt relligione Patres.
Quis neget? irradias Virtutum lampade terras
  Vita, animo, studiis, moribus, ore, fide.

Prima dies celebranda venit præposita cunctis
Virginis in laudes solicitando lyras.
In que Maris tanti sacris nav igantibus undis
in puppim ventus, atque serenus erit.

BENEDICTIO
læta quidém; & lata verè super
BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM
in primo suæ animationis instanti catachlysmo peccati minime obrutam, sed charismatum donis, & benedictionibus dulcedinis ab Altissimo præventam, ut super populum suum esset benedictio sua, omnium gentium benedictionem dedit illi, in benedictionibus agnoscens eam; ita ut benedicta dicatur inter, id est, super omnes mulieres; & veré benedicta, quam Beatam omnes generationes prædicant, Reges glorificant, Potentatus adorant, cujus in conspectu ditissimi ex populo dona litant. Unde apté: quidquid Mundo nocuit maledictio Evæ, hoc totum abstulit benedictio Mariæ.
HUIC ERGO MAGNÆ MATRI, ILLIBATÆ VIRGINI IN sua radiatione primæva benedictionem á Domino, & misericordiam à Deo salutari suo accipienti, sic cordicitus Minores Filii hóc dicant decachrosticon carmen.

Mundam sic Matre ....MBené prædicat agmine CheruB:
Ad Ami culp..............Amnescis,Et protinus ....Eva.E,
Reddis Regem........ ....Regum ex te Non semine ...Nume..N
Innocua, Intacta Illucens, ... E b u r Evehis alt...E
Arca nitens, Aurora rubens...... .... De semine DaviD
Virtus,.. .. Vita Volup;..........................IllustrisIncolaCœl.I,
Iudith...Iusta, ... Ingens arvum quo Candida Condu... .C
Radix,Ros, ...Rosa, sacrum Thusquod tristia...Tolli T
Germ.Grata Deo..........Gemma Inclyta, janua . ... Iust. I
Omnibus esse patet sancta O Benedictio, Virg........ O

Hac die Sabæos eloquentiæ fumos ad aram hujus Virginis accendet, & illam Filiam Benedictam à Domino per quam Fructum vitæ communicabimus mundulè prædicabit P. Fr. JOANNES TORTOLERO, in Cæsariensi Domo clarissimus Theologiæ Lector.

Prospera lux, oritur percurrens læta secunda
Cui Domini Cus-tos gaudia plena dabit.
Hunc Patrem colit, magnum sua turba Minorum
Propterea est illi (credite) Stella bona.

CLARITAS

Magni Numinis, & excelsi Nominis claruit in CHERUBICO P. N. S. DOMINICO,

cui Dominus dedit claritatem æternam; & quamvis ex Apostoli effatu alia sit claritas Solis, alia Lunæ, Stellarum alia, cumulatim in Dominico splendent. Ille Sol effulgens miré effulsit in Templo Dei, gyrans per Meridiem, ad Aquilonem deflectens universa lustravit in circuitu Quasi Luna plena fuit in Cœlo Ecclesiæ fidelis; & velut Stella splendida, & Matutina, quæ illuminavit sedentes in tenebris, & umbra mortis ad dirigendos pedes eorum in viam pacis Mundo illuxit. De hinc Dominicana propago est illa generatio casta cum claritate, quia ex quo claritas Dominici circumfulsit illam, lucerna ejus est Agnus, qui mirabiliter illuminat á montibus æternis.

TANTO ERGO PARENTI CUI TOTA SUOS SUBMITTIT Bœtica Observantum Eparchia nobiles fasces in teneritudinis, stigma, & devotionis stemma hoc metricum elogium sacrat.

Clausus adhuc inerat tenuis vel Debilis infan.........
Lucifer accensus prætulit .... Ore face........:......
At postquam accrevit lustris.... Vergentibus anni.......
Rarescit subito Sol.......... Init ortus agri..............
Ipse orbis quoddam.......... Numen columenq labanti. S
Tunc certé in stygios......... Imperat ire lupo...........
Aptus nec Phœbo........... Claro locus infima tellu......
Sicque micat superis............ Viva lucerna poli............

Ut Domini nomen clarificetur Enceleusma fiet ad Electores in Comitiali Aula solita facundia á P. Fr. SEBASTIANO ARZAC, in hoc Magno Conventu Philosophiæ Lectore

Ter-

Tertia, lux radians, & claro lumine Phœbus
Franciscum celebrat, quem veneratur amor.
Cujus demirans quinque in corpore plagas
Affixum Christum suspicor esse Cruci.

SAPIENTIA
non vana sed bona super
SERAPHICO P. N. D. FRANCISCO
splenduit, dum signatus apparuit Cruce duorum ensium. Illam namque Sapientiam non hujus Mundi, quæ stultitia est apud Deum, sed quæ ex ore Altissimi prodivit ab hujus justi ore meditabatur. Optavit, & in ipso venit Spiritus Sapientiæ, & præposuit illam regnis, & sedibus, ac divitias nihil esse duxit in comparatione illius. Antecedebat illum ista Sapientia, & proposuit pro luce habere illam quoniam inextinguibile est lumen ipsius. Omnia in Sapientia fecit P. N. Seraphicus proinde impleta est terra possesione illius, Sapientiamque Francisci collaudabunt multi, & usque in sæculum non delebitur memoria ejus à generatione in generationem requisitá.

HUIC MIRIFICO PATRI, CUI OMNISCIUS DEUS occulta Sapientiæ manifestavit, ut Sapientiam præstet parvulis Filiis in amoris argumentum, & studii pignus hoc epigramma consecrat Bœtica Toparchia.

Semita doctrinæ............ Franciscus, rectio plebi . . .
Armatus signis . . . . Regis, luctamina tollen.....
Plagas quinque gerens. . . . Accepit munia Cruci. . . .
Illecebris mundi. . . . . . Necnon lasciva repellen..... S
Effusis radiis. . . . . Cunctos sibi vendicat orbe.
Non dolus in labiis. . . . . Ipsi nec nubila menti . . .
Totus prole sua . . . . . . Semper lætabitur orbi . . .
Igneus excelsé . . . . Cum vexit ad æthera curru.
Addictus Christo Sapientia Livida Patri. . . . .

Sapiente Filio, cui datum est Sermo Sapientiæ, Pater gloriabitur, dum Altissimo grates reddat debitas pro eudemica electione F. Fr. JOANNES à CRUCE BERMEJO, in Erytreæ Conventu Sacræ Theologiæ meritissimus Lector, cujus in ore Deo nostro erit jucunda, decoraque laudatio. *Quar-*

Quarta dies tristis nostros quos vita reliquit
Patronos plangit, mesta que verba donat.
Tollitur in Cœlum clamor, dant tristia mœtra
Sic facit, ut placent thura, precesque Deum.

GRATIARUM ACTIO
precibus veris pro excelsis Viris
EXC.mis D.D.MARCHIONIBUS DE AYAMONTE,

quibus Dominus dedit nomen grande juxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Isti potentes à sæculo Viri famosi, quorum pietates erga hanc Minoriticam Eparchiam non defuere, hæreditas enim nostra Nepotes eorum. Quam enim gratiarum actionem reddemus his nostris munificis, ac magnificis Patronis? Secundum meritum eorum faciamus luctum, & mortuis gratiam orationum non prohibeamus, ut corpora eorum in pace sepulta sint, & nomina eorum in æternum vivant.

PROINDE GRATIAS AGENTES DEO, SEMPER IN GRAtiarum actionem manemus, exorantes, ut abstergat omnem lachrymam ab oculis ipsorum, mereanturque evadere ultionis judicium, & lucis æternæ beatitudine perfrui. Faxit Deus, ut in excelso audiatur vox plorantis, & hoc epicedium pro eorum catharside in cenotaphio appendentis.

Gandia quanta inopum tumulo sunt clausa sub ist..
Regum summus amor, Patriæ simul Agmina regn
Ante alios nati regali ex sanguine clar..........,...
Templa vetusta Dei revocant in..... Culmine prisc O
Ingenio, mente,gradu probi,vulto seren.............
Ad paradisiacas epulas sic...,...,....., Tramite rect..
Referat Omnipotens Patronos lumine læt......... ...
Vota petentum rité exaudi,.... ...... Iure benign..
Magne Deus, faciens ut gens pia regnet in ęv.....

Expletis næniis, litaminibusque exactis, his remuriis exodium ponet, agens Deo gratias pro animabus istis quarum hodie mentionem facimus concione eleganti P. Fr. PETRUS GONZALEZ, ex-Lector Theologiæ, & in Cœnobio Stæ. Mariæ de Flores de Alora optatissimus Hiperaspites:

HO-

HONOR
IN
BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

quę in primo suæ Conceptionis anastro prorsus Immculata Soli justitię admirabili syzigia est perihelia, proinde nec lypothimia læsa, nec teterrimo vapore originalis nævi ob tenebrata sicque populi nostri non solum est gloria & lætitia verum & honorificentia sancta. Ipsa namque in die quando allocuta est gloria, & honore ab Altipotenti coronata, primogenita efecta ante omnem creaturam, ac super manuum suarum opificia constituta, gyrum Cœli gratiæ circuivit sola, & profundum Abysi Munificentiæ penetravit extendens quasi Terebintus ramos suos in populo honorificato radicans,& in Electis Dei mittens radices, ac denique dans fructus honoris, & honestatis. Nec mirum sic honoratur, quam Rex Regum voluit honorare.

UNDE FRANCISCIADI FILII EJUS BEATISSIMAM prædicant gloriam, & honorem eidem afferentes, ut illis, quidquid hidra crocitet, obviet quasi Mater honorificata, & hæc anagrammata ex ejus salutatione Ecclesiastica dicant.

Programma.

Salve Regina Mater Misericordiæ, vita, & dulcedo, & spes nostra salve.

Anagramma Primum.

Ad te Virgo reis pia clamamus ê cordę intemerata tu es ulla sine sorde.

II.

Sola Adami è stirpe orta Arca Dei es, verum originale ulcus intedeest.

Distichon.

Hæc est (celsus honor) merito Patrona Minorum
Cui sacrant animos cordis amore pio.

Tantæ ergo Heroinæ in honoris, & laudis signum hæc florum serta, sive Doctoris Subtilis florida asserta Bœtica Seraphica Provincia hlaris, supplex, libens C. D. O.

NON POTEST CIVITAS ABSCONDI SUPRA MONTEM POSITA. Math. cap. 5.

M. P. Augustinus lib. 2. contra Epist. Petiliani c. 104. de Ecclesia vera Christi hoc intellexit Evangelicum Oraculum; unde in merito Heterodoxi in ipsam debachantes visibilitatem cōtemnunt, & firmitatem oppugnant; ipsa enim fundata supra firmam petram, mons Domus Domini in vertice montium minime latere potest nullaque vi expugnari valet. Portæ inferi prævalituræ numquam, frustra in eā præliā errorum, & hæresum turbines crudelisime existant. His inconcusis Catholicæ Religionis fundamentis cúm Orthodoxis, omnibus has statuimus contra Acatholicos defendendas propositiones: *Ecclesia vera Christi est visibilis. Indefectibilitas Ecclesiæ vera talis est ut non solum hucusque duraverit, sed usque in sæculorum consumationem erit permansura.* (Vesp. diei 21.)

Ut victoriam, & honorem accquirat peltam Palladis sumet impavidus Palæstrita P. F. JOANNES DE TROYA in Hispalensi D. Bonaventuræ Athæneo Studentium Magister, & ex Philosophiæ Lector suppetiis, & fultura P. F. LUDOVICI MORENO in Heliopolitano Sancti Antonii Conventu Sacræ Theologiæ Vespertini Lectoris.



VIR-

VIRTUS IN R.mo P. N. F. ANTONIO ABIAN,

QUEM SERTIS JUBILATIONIS, ET DOCTORATUS lauro Minerva coronat, Astræa pro Immaculata Conceptione Regalis Congressus Theologum annumerat, Seraphica hæc Cismontana Familia Comisarii Generalis solium præbet, ac nostra Capitularia synedria Præsidem colunt, in quo regimen Jovis, providentia Jani, Apollinis sapientia maxime enitet, ac ex omni parte æqualis videtur in verbo, in facto, in beneficentia, in perfectione ut posit apte tripudiare: *Mirabilis in eo Deus virtutum.* Magna est virtus ejus, & in ipso debilibus firmamentum virtutis; virtutum operatio, notam faciens in populis virtutem ad ædificationem & instructionem, ut dominaturus in virtute Dei, accinctus potentia sublimium colla calcaret. Quid ultra præco illi virtus est.

Ponite ergo corda vestra in virtute ejus ut enarretis. Repleatur os vestrum laude, & huic nostro præstantisimo Præsuli, qui crescens sibi, de virtute in virtutem transiens nobis est & exemplum, & jubar hoc præscinite encomium, hoc appendite Epigramma

Culmen honorificum, Patrum Pater accipe vota
 Quæ tibi sincero pectore fudit amor.
Facundo eloquio cælestia dogmata fundis
 Francisci crevit, te monitore, domus
Te doctrina *probum*, providentia sacra *modestum*
 Fecit, & eloquio vincere mella tuo
Majestas humeros, placidam *Clementia* frontem
 Pura verecundus pectora *Candor* habet.
Præforibus famuli, video, famulæque morantur?
 VIRTUTEM Dominam quis neget esse domi
Bætigenæ laudant, fælicia vota secundant
 Ut maneas Pastor, ne lacerentur oves.

Præsuli enim clarisimo, ut sui erga eum, reverentiam exhibeat hæc ex Scotico Xysto vernantia lilia Franciscanus Bæticus cœtus obsequio addictus, gratia allectus & amore adstrictus sacrat, & litat.

VOVETE, ET REDDITE DEO VESTRO.

Ex Psalm. 101.

VOta esse Deo grata Sacra Scriptura frequenter inculcat, exempla Sanctorum confirmant, & quidquid Hæretici reclament, traditio roborat, proinde in vanum laborant, dum vota sed castitatis præcipué nituntur exprobare. Nec ex eo quod Matrimonium judicent impedire aliquid in votum concludunt. Quod ut clarius fiat (Vesperé die 22.) has exponimus defendendas resolutiones: *Beatissima Virgo Maria ante Domini Incarnationem Votum Virginitatis emissit quo non obstante verum, & proprium Matrimonium contraxit cum Sancto Joseph; ex quo denique substinemus nuptias celibes esse laudabiles.*

Confortatus in virtute, ac clipeatus, digladiaturus in arenam descendet strenue P. F. JOSEPHUS OJEDA, ex Lector Philosophiæ, ac in Comitiali Domo Scholasticorum Magister, sub parma P. F MARCI SIXTI MAESTRE in Hispalitano Venturino Lycæo eruditisimi Sacræ Theologiæ Lectoris.

FORTI-

FORTITUDO IN

EX.cmo D. D. BONAVENTURA OSORIO DE MOSCOSO, PHELIPEZ DE GUZMAN, MESIA, DAVILA, Roxas, Hurtado de Mendoza, Fernandez de Cordova, Comite de Altamira, Monteagudo, Azarcollar Lodosa, Trastamara, Saltes, Santa Marta, & Nieva, Marchione de Leganés, Morata, Almanza, Astorga, Velada, San Roman, Ayamonte, & Villamanrique, Duce de Sanlucar la Mayor, Atrisco, & Medina de las Torres; Principe de Aracena, Cubiculario Regio, Vexillifero Matritensi, & quodque sibi pro pietate majus, nobisque pro gratitudine maximum hujus Wandalicæ Minorum Provinciæ supremo venerando Patrono,

HOC in nostro perillustri Protectore fortitudo pauperi, fortitudo egeno dum nimis est Principatus ejusdem confortatus nimis in dies augetur erga hunc pusillum Francisci gregem sedula beneficentia, ut nostro inclyto Mœcenati fas sit dicere: *& tu adjutor fortis.* Nec imparem esse fortitudini suæ Nobilitatem clarissimam per antiquæ probant historiæ, quibus occurrendum non est. Loquantur strenui Duces Illustres Heroes, potentissimi Principes ex cujus propagine, Alta mira, & numquam satis laudabilis familia procedit. Nos autem in clientelę signum Fortitudinem ejus, & magnificentiam sic cantabimus.

Quis tibi digna ferat pręconia celsa priorum,
    Cum potius tua laus ornet honore genus?
Eluces mitis, sapiens, bonus, omnibus æquus
    Ingenio Vivax, ore rotante loquax.
Romanusque lyra, plaudat tibi Barbarus harpa,
    Græcus Achilliaca, Chrotta, Brittana canat
Illi te fortem referant, hi jure potentem;
    Nec rapiat nomen nigra favilla tuum.

In sui ergo, quem tot perspicuis argumentis erga se nimis benefi cum, & pium Seraphico-Bætica Provincia continuo sensit Exce lentisimi Patroni obsequentiorem plausum ex Theologicis. Scoticis Macrologiis certatim proferendis celebriora parat anademata.

DOCETE OMNES GENTES BAPTIZANTES EOS.

Marc. cap, ult.

SIc Christus Dominus necessitatem, & extensionem Baptismi patefecit Hoc enim Sacramentum prima post naufragium Protoparentum tabula, initium Christianæ vitæ, & janua ad Regnum Cœlorum fuit inter Patres Ecclesiæ disſidii objectum. Orta est enim contentio inter Africanos, & cæteros Ecclesiæ Occidentalis Prælatos: an rebaptizandi essent qui ab Hęreticis fuissent baptizati. Pro utraque parte fuerunt Viri sanctitate, & eruditione clarissimi, ut autem virtuti, & merito eorum consulamus, substinebimus (Vesperé diei 23.) *Aggrippinum Episcopum Carthaginensem labente jam sæculo secundo fuisse primum assertorem nullitatis Baptismatis ab Hæreticis collati. Cui circa medietatem sæculi tertii acsessere Cyprianus, Firmilianus, aliique Episcopi, tam ex Africa, quàm ex Oriente, quorum nullus à sua sententia ante obitum discessit, nec ob hoc eorum quisquam alicujus peccati reus evasit.*

Certamen forte accipiet ut epinicium canat P. Fr. EMMANUEL NEGRETE, in Municipali Conventu Philo-Studentium Magister; cui erit Turris fortitudinis á facie inimici P. Fr. THOMAS DEL GADO, in D. Bonaventuræ Collegio meritissimus Sacrę Theologiæ Lector.

LAUS DEO.